B. C. D.

20

SATYRÆ MEDICÆ,

CONTINUATIO VI.

QUAM

DISPUTATIONE ORDINARIA

DEO JUVANTE

IN CELEBERRIMA ELECTORALI HEIDELBERGENSI

PRÆSIDE

DN. GEORGIO FRANCO,

MED. AC PHIL. DOCT. ET PROF. P. ORD. FAC. DECANO ET ACADEMICO CURIOSO.

Jatrophilis exhibet

Ad Diem 24. Novemb. 1675. In Brabeuter. Univerſ.

JOH. DANIEL HEILAND,

HEIDELBERGA-PALAT.

HEIDELBERGÆ,

Typis, SAMUELIS AMMONII, *ACAD. Typograph.*

ANNO M DC LXXV.

VIRO
NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

DN. JOH. MATTHÆO FABRO,

PHIL. ET MED. D. CELEB. SERENISS. DUCIS WIRTEMBERG. &c. &c. CONSIL. ET ARCHIATRO ATQVE LIB. IMPER. CIV. HEILBRONNENSIS PHYSICO PRIMAR. MERITISSIMO &c.

Patrono, Fautori atq; Cognato meo plur. colendo

NEC NON

VIRO
PLURIMUM REVERENDO ATQVE PRÆCELLENTISSIMO

DN. HISKIÆ ELEAZARI HEILAND,

ECCLESIÆ LUTHERANÆ, QUÆ HEIDELBERGÆ EST, PASTORI MERITISSIMO ATQVE FIDELISSIMO &c.

Parenti meo omni pietate atq; veneratione dilectiſſimo, honoratiſſimo

HANC DISPUTATIONEM
Primitias meas Academicas
devota mente
D. D. D.
JOH. DANIEL HEILAND, Heidelberga-Palat, Resp.

B. C. D.

§. 1. HOmines vixiſſe ſine [α] hepate, [β] liene, [γ] renibus, [δ] pene, [ε] lingua atqûe [ζ] felle non tam mirabile videtur, ac quosdam vixiſſe ſine [η] pulmonibus; immo ſine [θ] cerebro, ſine [ι] capite aut ſine [κ] corde.

NOTÆ.

α) SIne Hepate) τῶν δ' ἄλλων ὀυδὲν ἐστι σπλάγχνων ἀναγκαῖον τοῖς ζώοις, τὸ δ' ἧπαρ μόνον, ait ARISTOT. *IV. P. A. 2.* in fine h. e. *Ceterorum viſcerum nullum neceſſarium eſt animalibus, niſi jecur.* Quod valde durum eſt. Et *II.* H. *A. 15.* inquit: καὶ ἧπαρ ἅπαντ' ἔχει, ὅσαπερ αἷμα, i. e. *hepar in omnibus eſt, in quibus ſanguis.* Idem *IV. G. A. 4.* ſtatuit nullum notatum eſſe animal, quod jecore caruerit. Veſtigia ejus premit COEL. RHODIG. *IV. L. A. 16.* illudque fere repetit *cap. ſeq.* Sed quid reſpondebunt ad hæc LAUREMBERGII *Exerc. Anat. I.* §. 47. *Hominem* (inquientis) *naſci, vivere, ad plenam ætatem progredi compertum eſt ſine jecore.* Audiamus famoſam hiſtoriam: *Sine hepate & liene vixit* MATTHIAS ORTELIUS, *Auguſta Vindel. mercator Antvverpienſis, qui hydrope obiit 11. Septembr. 1564. & 12. Sept. anatomia ejus facta eſt* à Lamberto Tulutano *Medico per* Thomam Comaum *Chirurgum & tonſorem Antvverp. Verum ſubſtantia omnium inteſtinorum carnoſa prorſus erat & multo ſolidior, quam ipſa muſculorum caro, ut ſoliditate cordis carni fere reſponderet, & vena cava ex ipſis inteſtinis originem ſumebat, eo fere modo, quo vena porta in ipſis inteſtinis ſolet implantari.* Hiſtoriam hanc communicatam habuit à D. TOB. CNEULINO & JOACH. CAMERARIO, J. SCHENK. *L. 3. obſ. 7.* Item BAUHIN. *de Hermaphrod. l. 1. c. 8. p. 86.* ac MOEBIUS *Inſt. p. 78.* & *fund. phyſiol. p. 318.* Nullum hepar adfuiſſe habet qq. J. van HORNE

 de

de duct. chylif. D. 2. Sic VESAL. *l. V.* F. H. C. ait viri cujusdam ſubſtantiam hepatis omnino fuiſſe deperditam, adeo ut lien cogeretur ejus ſuſtinere vices. Immo hepatis loco maſſam carneam 36. libras pendentem obſervavit ZACUT. *Luſ. II. prax. adm. 38.* Quid ergo ſtatuamus? Cum Fr. de le boe SYLVIO *diſp. med. VI.* §. 5. *Secundum naturam nunquam in corpore humano deſideratum viſcus* dicimus.

β) Sine Liene) Lienem omnibus ſanguineis animantibus communem eſſe teſtatur GALEN. *VI. admin. anat.* 10. allegante & conſentiente DEUSING. *Ex. de ſanguif.* §. 58. ARIST. tamen ſtrictior videtur, quando *II. H. A.* 15. ſcribit: Σπλῆνα δὲ τὰ πλεῖστα ἔχει ὅσαπερ ἔχει αἷμα. Τὰ δὲ πολλὰ τῶν μὴ ζωοτοκούντων, ἀλλ' ὠοτοκούντων, μικρὸν ἔχει τὸν σπλῆνα οὕτως, ὥστε λανθάνειν ὀλίγους τὴν αἴσθησιν, ἔν τε τοῖς ὄρνισι τοῖς πλείστοις, οἷον ἐν περιστεραῖς, καὶ ἰκτίνῳ, καὶ ἱέρακι, καὶ γλαυκί, i. e. *lien magna ex parte omnibus, quibus ſanguis: Sed magnæ parti eorum, quæ non animal, ſed ova pariunt, lien usque adeo exiguus eſt, ut propemodum ſenſum effugiat: quod magna in parte avium experimur, v. g. in columbis, milvis, accipitribus, noctuis.* Quæ qq. ſanguinis proprie expertia ſunt, liene per naturam carent, ait ex ARISTOT. *III. p. A. 7.* DEUSING. *l. a.* §. 59. Lienem plane vilipendebant olim ERASISTRATUS, DEMOCRITUS & RVFVS EPHESIVS, quando fruſtra factum volebant, uti invenimus ap. GALEN. *IV. V. P. 15.* & *com. 3. in Hipp. l. de alim.* ita allegantibus H. BARBATO *de ſangu. & ſero p. 5.* ac DEVSING. *l. a.* Pariter eumdem contemnit PARACELS. *l. 2. de nat. hum c. 4. & 6.* Dantur quidem animalia quibus per naturam deeſt, DEVSING. *l. c.* ex ARIST. *III. P. A. 7.* nim: volatilibus quoniam pennarum vis recrementum abſumat melancholicum, teſte CÆL. RHOD. *IV. 18.* Quaſi verò! Ita Th. BARTHOLIN. *A. R.* 1. 16. ait: *Carent ſine noxa liene, quæ veſicam non habent, ut chamæleon & alia multa. Inſecta vero ſplene carent. Quamobrem falſum illud*: Habet & muſca ſplenem. Verum ſuper his nondum microſcopia conſului. De chamæleonte vide PANAROL. *in anat. chamæl.* Verum ubi eſſe debuit, non raro lien defuit. Abeſſe poſſe docent ZACVT. *II. hiſt. med. pp. 63.* ac præcipuè Cl. KERCKRING. *obſ. XI.* Tale animal viſum fuiſſe ipſe ſcribit ARIST. *IV. G. A. 4.* ac LAVRENT. *Anat l. 6. q. 25.* & BECKER *in Cultrivor. p. 83.* liene deſtituta quædam allegant. De Ortelio ſupra lit. α. De Muliere Pariſienſi HOLLER *num. 5.* *Prope Cortynam in Creta apparentem ſplenem pecora non habent: quod amplius Medicorum ſcrutantes ſcholæ in illis enaſci*

enaſci herbam locis denique compertum prodidere, qua veſcentia pecora lienes imminuerent: unde & lienoſis curandis medicamen excogitatum, quod ex re aſplenon Cretenſes dicunt, ſunt verba CÆL. RHOD *IV. 18.* forte ex VITRUV *Archit. I. 4.* In quibusdam fertur ſplenis parenchyma adeo abſumtum repertum eſſe, ut ſola cutis remanſerit, inquit, ROVSSET *de partu Cæſar. S. 4. c. 5.* In infante acephalo Zittavienſi nullus erat lien, D. D. JÆNIS. *Ann. III. Acad. Cur. obſ. 277.* Plura qui volet, evolvat *Celeb.* J. D. HORST. *manud. pag. m. 96.* præſertim Beat. D. D. BAVSCH. *beu olim Acad. Cur. Germ. Præſid. primum in proœm. traumatol. p. m. 37.* ac *Cl.* TILLING. *Anat. lien. ſ. 1. c. 10. p. 205.* Eumdem autem exſcindi poſſe, NEGARVNT quidã, ducti vel copioſis ſanguineis aliisq; vaſis, vel viſceris magnitudine, connexione aut uſu, uti CELSVS *V. 26.* CÆL. AVREL. *III. chron. paſſ. 4.* VESAL. Vid. VIDIVS *de cur. morb. X. 10.* BAVHIN. *theatr. anat. c. 43.* Lev LEMN. *l. 2. de complex. c. ult.* KNOBLOCH. *Inſt. Anat. diſp. 6. q. 2. p. 205.* LAVREMB. *Ex. Anat. VII.* ZACCHIAS *l. 8. t. 1. q. med. leg.* 12. *num. 14.* M. SEBITZ *de Alim. Fac. III. 5. p. 725.* CONRING. *l. de gener. & motu ſangv. c. 6.* TH. BARTHOLIN. C. *IV. h. 51.* (hic tamen cecinit palinodian) HIGHMOR, *diſq. Anat. l. 1. p 3. c. 3.* J. C. DIETRICH *diſp. ſolemn. XX. §. 18.* & prolixe D. D. TILING. *l. c. ſ. 3. c. 6. p. 424. ſeq. 429. 431. ſeqq. 437.* Ad AFFIRMANTIVM tamen caſtra ſe recipiunt PLIN. *XI. 37.* ARETÆVS. HALY ABBAS & G. BERTIN. *l. 18. c. 1.* apud KNOBLOCH, ROVSSET *de partu Cæſar. IV. 5.* (ſed refutatur à CONRING. *l. c.* quod non ſua ſed aliena fide) CHRONICON TVRCARVM ap. TH. BARTHOLIN. *l. d.* (qui etiam de *Fioravanti* hiſtoria, ubi lienem ſcirrhoſum mulieris libras XXXII. pendentem abſcidit fuſius agit) ZACVT. II. *hiſt. med. pp. 63.* Et hodie omnes fere ducti experientia *Anglorum* de quibus BOGDANVS ap. TH. BARTHOLIN. *c. II. Epiſt. 77. p. 648.* hi enim ſine noxa brutis animantibus, canibus, felibus, ſuibus exemerunt uti modos qq. apponit BARTHOLIN. C. *IV. h. 51.* it. DEVSING. *Ex. de ſanguif. §. 79. ſeqq.* Conf. WHARTHON. *adenogr. c. 4. p. 13.* Canem talem D. Scarbourghi vidit ERASMVS BARTHOLINVS. *Hiſce diebus* (ſcribit TH. BARTHOLIN. C. III. *Epiſt 50. p. 208.*) *in præſentia Sereniſſimi Regis noſtri binis canibus experiundi gratia lien fuit exſectus optimo ſucceſſu, uterque enim canis poſt vulnus curatum convaluit & bene habuit.* Pariter in Belgio variis in canibus, ſalva ipſorum vita, ſucceſſit, ceu inde ſcribebatur ad *Cl.* D. D. I. D. MAIOR *Anat. I. Kilon. c. 2. §. 21.* Lugduni canem pinguem, cui lien exſectus, vidit IAC. HOLSTE (utut vix credere videatur)

tur) ap. TH. BARTHOL. C. III. *Epiſt.* 72. *p.* 299. *Quater* (ait *id.* D. D. BARTHOLIN. *ib. Epiſt.* 64. *p.* 258.) *expedita manu, præſente Auguſtiſſimo Rege noſtro, aliisque ſpectantibus lienem ex canibus majoribus minoribus, extractam digitis, totum exſcidit Regius Chirurgus Philippus, vidimusque vivos & ſuperſtites, præter unum majorem, ſanosque & agiles, nec quidquam inde damni paſſos ſed ad curſum expeditos.* Quod forte etiam innuit *ib. Ep.* 96. *p.* 415. Id. *Cent.* IV. *Ep.* 14. *p. m.* 55. ait ſe in canibus expertum eſſe. GV. CHARLETON lienem ante ſex annos jam cani exſecuit, adhuc valide & Bathoniæ belle viventi, niſi quod ex intervallo in maciem quandam tenuetur, & ſubito iterum pingueſcat, ait OL. BORRICH. ap. TH. BARTHOLIN. *Cent.* IV. *Epiſt.* 92. *p.* 537. Sexies in canibus feliciter patravit BARBETT *l.* 4. *Prax. c.* 10. Sed quorſum tandem hæc, dicat aliquis. In brutis nim. concedi poſſe, non item in homine. Nolo quidem hic cum aliis allegare hepar maximum ſed nullum lienem ex SALMVTH C. I. *obſ.* 21. nam inſcribtio ibi fallit, textus vero dicit illius puerpuræ lienem tam parvum fuiſſe, ut pollicem majorem vix æquaret. Ergo ad certiora. Vivente ſe ſæpius ſucceſſiſſe dixit ANDRIANVS ZVCCARELLVS celotomus atque ocularius ex Palo Vrbe Neopolitana ap. FIORAVANT. *l.* 2. *c.* 8. *theſ. vit. hum.* Alii vulnerato tonſor propendentem lienem per ignorantiam abſcidit, reconvaleſcente ægro, ex BALLONIO *l.* 2. *Ephem. p.* 251. TH. BARTHOLIN. C. IV. *h.* 51. Neapoli alium lienem exemit FIORAVANT. *l.* 2. *c.* 53. Tota denique lis componi poteſt verbis *Celeb.* TH. BARTHOLIN. *A.* R. I. 16. *Non deficere poteſt lien naturaliter; Siquidem natura non abundat in ſuperfluis, nec deficit in neceſſariis.* P. n. vel deficere poteſt, vel eximi arte tam in brutis, quam (utut difficilius, & non niſi neceſſitate majore urgente) in hominibus.

γ) Sine Renibus) Renes per accidens ſolum eſſe neceſſarios cum ARISTOT. 3. *P. A.* 7. ſtatuit DEVSING. *Ex. de ſanguif.* §. 92. addit tamen non æquè poſſe exſcindi ac lienem. Eosdem nullius eſſe uſus opinabatur ERASISTRATVS, ſed inepte, vid. GALEN. 2. *Fac. Nat.* 4. quam opinionem qq. ASCLEPIADES ejusque Sectatores ſunt amplexi, ut colligere licet ex I. *Fac. Nat.* 13. Ceterum ARISTOTEL. 2. *H. A.* 16. ait animalia, quæ ova pariant, aves, piſcesque non habere renes. Quamvis de avibus ego dubitem. *Id.* 4. *G. A.* 4. altero vacans rene animal viſum refert. Conf. omnino *beat.* BAVSCH. *l. a. p. m.* 40. & *b.* MOEB. *Fund. phyſ. p.* 413. In femina Viennenſi renes petrefactos

trefactos vidit MICH. TEXTOR *Medicus*, habet qq. SCHENK. *in lithogen. p.69. beat. qq.* P. I. SACHS. *heu olim noſter! Ann.I. Ephem. Germ. Cur. obſ.27.* habet exemplum Nob. feminæ Sileſiæ, cujus ambo renes obriguerant in alabaſtrinam duritiem & ſoliditatem. Tamen, ut verùm fatear, non memini me legere ambos aliquando defuiſſe; adeo forte neceſſarii ſunt in uſu, quam an plene ac plane ſciamus, hæreo.

δ) Sine Pene) Penem (cujus apud Gentiles venerationem ex TERTVLL. atque DIOD. SICVL. *l.* 1. *c.* 88. tangit RVPERT. *diſſ. ad Val. M. p. 26.* Conf. COEL. RHODIG. IV. 6. & I. T. SCHENK. *diſp. de part. gen. maſc. pag. 30.*) VEL NVNQVAM ADFVISSE, interim tamen homines vixiſſe, conſtat hiſtoria hominis in Latio oberrantis *A*nnæ nomine, qui & ano & pene caruit; feces, certo poſt cibi aſſumtionem tempore, cornu in fauces indito revomuit, & aqua dein os eluit; urinam vero per ſpongiam fungoſam ſub umbilico excrevit, de quo TH. BARTHOLIN. C. 1. *h.* 65. & *A. R.* I. 24. *A*lium inſtar caſtrati, qui neque vulvam, neque priapum, neque teſticulos habuit, ſed per minimum foramen minxit, vidit HALY RHODOHAM *com. ad l.* 3. GAL. *art. med. t.* 77. ap. I. SCHENK. *l.* 4. *obſerv.* 2. Infantem ſine mentula, ſed cum Scroto & teſticulis natum ad eundem transſcribſit TOB. CNEVLINVS. VEL ALIO MODO AMISSVM homines vita non privaſſe legimus. Ita Præfectus cuidam navi bellicæ apud Hollandos in bello *A*nglicano hoc ſeculo per exploſi tormentarii globi vim teſtes ac penem omnino perdidit *Cl.* NIC. HOBOKEN. *in Epiſt. p.* 160. *A*rnſtadii quondam (tale & in puero vix ſemeſtri factum ſine vitæ periculo *Gr.* HORST. *in Epiſt. ad Hildan. C.* 3. *obſ.* 47. *citante* MOEBIO *in Fund. Phyſ. p.* 520.) in Xenodochio miniſter claudicans quidam alebatur ſumtibus publicis, cui ſub pueritia ad parietem mingenti Scrofa cum porcellis per plateas deambulans genitalia avulſerat, I. T. SCHENK. *Ex. Anat. cit. p.* 50. VEL ETIAM ABSCISSVM, Sic Juveni Jenæ ab ancilla penem abſciſſum ſcribit *id. ib. p.* 54. Juvenis mercator Hafnienſis cum ſana quadam equidem rem habuit, ſed ſuperveniente febre ardente penis intumuit cum gangræna. Curatus fuit à Chirurgo impoſito Ægyptiaco, & inflammatione refrigerantibus ſedata. Tandem pars poſt partem ſponte ſua decidit donec ad ſanam colis partem perventum, quæ vix unius digiti articuli longitudine ſuperfuit, per quam promte minxit, TH. BARTHOLIN. C. 3. *h.* 27. Penis ab ulcere conſumtus apud PLATER. *l.* 2. *obſerv.* & *l.* 3. apud BARTHOLIN. C. 1. *h.* 65. De Sartore

Delphenſi,

Delphenſi, cui totus penis emplaſtro adhærens avellebatur vide *Diſſ. meam* (ſi placet) *de Lupanaribus* §. 19. *ex* FORESTO. M. A. SEVERIN. *l. 2. pyrotech. p. 1. c. 90.* teſtatur multos ſe ſervaſſe ferro utens & igne, quibus ad usque pubem aſſidua putredine peredebatur penis. Baſileæ 1659. 10. Nov. Chirurgus Svvartz Tubicini ann. 70. penem cancro-ſum & corruptum feliciter præſente Cl. PLATERO circa radicem detruncavit, brevique tempore ægrum reſtituit, uti ex SEGERO refert BARTHOLIN. C. 6. *h.* 96. nempe SEGERVS habet *ap. eund.* C. 3. *epiſt. 9. p.* 46. Monachum, qui ob Zelum caſtitatis colem ſibi pubetenus prorſus abſciderat, curavit BENIVEN. *de abd. c. 68.* Aureliæ quidam maniacus in profnndum puteum ſe dedit præcipitem, & genitalia abſcidit, extractus tamen & non mortuus eſt, ROVSSET. *de part. Cæſar. ſ. 4. c. 6.* Alii prope Lauſannam penis in ipſo abdomine abſcindebatur, qui convaluit, & ad multos ſupervixit annos, teſte FABRIC. HILD. C. 3. *obſ.* 87. p. 494. Alium veretri corroſi amputatione ſervatum vidit ZACVT. *Luſ. l. 2. prax. adm. obſ.* 112. Vlmenſi civi 1635. penis ſphacelo corruptus artificioſe & feliciter reſecabatur à IOH. SCVLTET. *armam. Chir. p. 2. obſ.* 65. qui allegat ſimile, ubi *Balthaſar* Ord. in noſodochio ad D. Franciſci Patavii, ſeniculo penem lue ♀ea corruptum amputavit, ulcusque convenienter conſolidavit. Ita Turcæ hodie non ſolos teſtes, ut olim, ſed penem qq. Eunuchis ſuis abſcindunt, SCALIG. *Ex.* 104. *n.* 8. ROVSSET. *Vl.* 6. CARDAN. *com. in Hipp. l. de A. A. & L.* 62. *t.* 19. BVSBEQ. *Epiſt.* 3. Conf. omnino *Cl.* BAVSCH. *proœm. traumatol. p.* 40. FABR. HILD. C. 3. *obſ.* 87. ZWINGER. *theatr. V. H. Vol.* 2. *l.* 4. *f.* 358. Obiter huc referam ridiculum & ſtupendum illud, quando (neſcio an ſatis vere) aſſeritur tales nihilominus generaſſe. de quodam Principe Germano ſcribit NANCEL. *analog. microc. l.* 7. & *ex eo* IONSTON. *thaum cl. x. c.* 5. *art.* 3. qui bombardæ ictû eviratus, argenteum ſibi curavit fabricari penem & felici ſucceſſu liberis operam navavit, ait C. à REIES *q.* 41. §. 24. & ex hoc *Cl.* AMMANN. *in paraneſi doctiſſima p. m.* 403. Ita SILVIVS *Comm. de menſ. mul. ap.* SCHENK *l. 4. de pene & præputio* ex SAVANOROLÆ auctoritate refert quosdam membro quaſi penitus abſciſſo generaſſe, idque eveniſſe, tum ob validam reſidui penis ejaculationem, tum maxime ob validiſſimam uteri adtractionem. Quod etiam acceptum videtur FORTVN. FIDEL. *l. 3. de relat. med. c.* 2. & RIOLAN. *de Herm. c.* 12. nonnulla exempla ad hoc affert, P. ZACCHIAS *l.* 3. *t.* 1. *q. med. leg.* 8. *num.* 4. qui infra *n.* 18. valde (nec immerito) limitat. Hoc tamen non negandum periculoſum

loſam eſſe ejus abſciſſionem, FOREST. *l. 26. in ſchol. ad obſ. 3.* In alio mercatore Dano, lue ♀ ea infecto abſcindebatur quidem penis dextre; nihilominus, quia malignitas ad inguina ſerpſit, moriebatur, TH. BARTHOLIN. C. *6. h. 96.* Amputato pene propter infectionem à Scorto ex multis paucos curatos refert ANDR. PETR. PERVSINVS *in hypomn.* ap. SCHENK. *f. 526.* additque alium cauda inde plusquam dimidia mulctatum. Ita exſtinguebatur paucos ante annos miles, cui in hac vicinia ab ancilla virgine ob vim ruri inferendam penis ſecula auferebatur; ſed dubio procul ob largam ſanguinis vitalis è vaſis libidine æſtuantibus effuſionem, inquit MOEBIVS *Fund. Phyſ. c. 19. p. 250.*

ε) Sine Lingua) Partem quidem ejus innoxie abſciſſam commemorat D. G. H. VELSCH. *Cent. epiſagm. obſ. 25.* P. ZACCH. *l. 2. t. 3. q. 8. n. 3.* ac TH. BARTHOLIN. C. 2. *h. 22.* Quod etiam multis hinc inde exemplis blaſphemorum aliove modo atrociore reorum, quibus pœnæ loco lingua abſcinditur, poteſt probari, uti qq. adnotavit *Eruditiſſ.* I. LANG. *olim noſter l. 1. Epiſt.* 4. Sed totam defuiſſe varie & prolixe exemplis probant ZWINGER *theatr. vit. hum. f. 349. beat.* GR. HORST. *Cent. probl. f. 255.* CAMERAR. *Syll cent. mem. VI. n. 38.* ZACVT. *l. 1. h. 71.* TH. BARTHOLIN. *l. a. maxime Cl.* D. BAVSCH. *l. d. p. 52. Cl.* SACHS. *ſchol. ab obſ. 35. Ann. 1. Acad. Cur. p. 119. ſeq.* Jam olim aliquis linguam ſibi mordicus abſcidit convulſione, ac dein reconvaluit, ceu refert GALEN. *de morb. diff. c. 8.* (Ita Blamontii 1666. in Vxoris meæ ſorore, Maria Vrſula, nata Chemnitia, convulſionibus correpta, linguam dimidia ſui parte inciſam Dei ope reſtitui) Notabilis eſt hiſtoria de puero Gallo Petro Durando 8. vel 9. ann. cui in variolis per gangrænam tota lingua excidit, nihilominus loquebatur, guſtabat, exſpuebat, aſſumta in ore colligebat, atque deglutiebat, quam Gallice conſcribſit & reddit Salmurii 1630. *Jac.* ROLAND. *de Belebad Chirurg. ib. titulo agloſſoſtomographiæ* in latinum vertit *Cl. Car.* RAYGERVS *& adnexuit Ann. 3. Ephem. Germ. Cur. p. 559.* Ille cap 4. linguam ſemel amiſſam regenerari poſſe negat; hic vero in nott. affirmat. Priori (pace *Cl.* RAYGERI) magis accederem. Inſuper de quibusdam ſibi ipſis linguas præmordentibus, & verſus tortores exſpuentibus lege omnino *Balt.* BONIFAC. *hiſt. ludicr.* I 22. Denique avulſis linguis ſanctos aliquot ſupernaturaliter locutos allegat ex pluribus REIES *q. 55. n. 12.* & RAYGER. *l. a. in nott. ad cap. 6. p. 588.*

ζ) Sine Felle) Magnæ heic lites de optimò nec non (certo reſpectu) peſſimo liquore! Quædam animalia plane eo careant, uti equus ARIST. IV. P. A. 2. & II. H. A. 15. (PLIN. tn. XI. 37. ait: *Sunt, qui equo non quidem in jecore eſſe, ſed in alvo putent*) it. Mulus & Aſinus ARIST. & PLIN. *ll. aa.* Cervus, ARIST. *ib.* (JONSTON. *Thaum. cl.* 7. *c.* 10. *p.* 303. non in jecore, ſed aut inteſtinis aut caudâ locat; forte ex PLIN. *l. d.* ARIST. II. H. A. 15. Solum in Achainis cognomine cervis fel contineri tradit &c. Et paullo poſt inquit: *Sed cervus felle, ut dictum eſt, vacat, quanquam ejus inteſtinum amarum adeo eſt, ut ve à canibus quidem adtingatur, niſi cervus præpinguis ſit*) it. Camelus, PLIN. *XI.* 37. & MORHARD. *de miracul. in Creatur. l.* 4. *c.* 1. (habere tamen venas felleas vult ARIST. IV. P. A. 2. ſeu aliquid felli analogum, BOCHART. *hierozoico p.* 1. *l.* 2. *c.* 1. *f.* 76.) it. Columbæ ſecundum vulgum; quos ridet GALEN. *l. de atra bile*; nam utut veſicam ejus non habeant, ventri tamen aut inteſtinis jungitur, teſte MORHARD. *l. V. c.* 3. Et *Matth.* Jac. MATTHIADES ap. *Th.* BARTHOL. C. 4. *Epiſt.* 53. *p. m.* 342. ait: *Indubitato nobis conſtat, nec in* equis, gliribus & columbis *folliculum fellis adeſſe, ductus tamen in duodenum ab hepate deſcendens non deeſt, qui in Columba liquorem viridem inſtar fellis continebat, nunc ab hepate in inteſtinum ſe exonerantem, nunc rurſus in hepar regurgitantem.* Immo pridem jam ARIST. 2. H. A. 15. dixerat: *Aliis fel ad jecur, aliis infra ſepoſitum adhæret, quod etiam in avibus pari modo perſpectum eſt: aliis enim ventri, aliis inteſtino jungitur, ut* Columbæ, *cervo, coturnici, hirundini, paſſeri: aliis jecori ſimul & ventri, ut Capricipiti aliis jecori ſimul & inteſtino, ut accipitri, milvo.* it. Dama, ARIST. 4. P. A. 2. & 2. H. A. 15. it. Vitulus marinus; *Id. ll. cc.* (contrariatur PLIN. *XI.* 37.) & inter piſces marinos Delphin, ARISTOT. & PLIN. *ll. aa.* Elephanto etiam jecur ſine felle: inciſa tamen parte, qua fel adhærere ſolet, humor felleus effluit plus, minus, ARISTOT. 2. *H. A.* 15. it. Apri non habent juxta PLIN. *XI.* 37. Felle qq. carent, qui apſinthio veſcuntur in Ponto, PLIN. *l. d.* dubito tamen; minui non plane auferri crediderim. Quædam vero animalia modo eodem gaudeant, modo deſtituantur, uti mures, ARIST. IV. *P. A.* 2. & II. *H. A.* 15. *it.* PLIN. *l. d.* hoc etiam ovibus caprisque (his tamen plane deeſſe ſcribit PLIN. *XI*, 37.) evenit: pars n. earum maxima fel habet, & quidem

quidem copioſiſſimum, ut in Naxo. Sed aliis terris quibusdam ſin locis omnino carent, ut apud Chalcidem Euboicam parte quadam agri; de poſteriore PLIN. *qq. XI. 37.* Sed hactenus de brutis. Ipſis tamen etiam HOMINIBUS quibusdam quandoque deeſſe memorat ARISTOT. *4. P. A. 2.* PLIN. *l. a.* qui addit iis inde valetudinem firmiorem & vitam eſſe longiorem. 5. Mart. 1652. *Petro de* MARCHETTIS viſa fuit in agreſti veſica bile deſtituta jecinore maximo, *Cl.* BLASIUS *ad Vesling. p. m. 62.* forte ex J. RHODIO *mantiſſ. anat. obſ. 24.* In icterico nigro veſicula fellea plane vacua reperiebatur 1657. Erfurti à *Cl. D.* MöLLENBROC. *Ann. I. Ephem. Germ. Cur. obſerv. 87.* Nim. non niſi in ægris tota effuſa ſecundum *Fr. de le boe* SYLV. *diſp. med.* II. §. 18. In monſtris etiam deeſſe poteſt, ut in illo Medioburgi, de quo ſupra. Sed an in hominibus vel mala conformatione, vel etiam vi transfoſſum fel deeſſe poſſit, disquiritur? Et uti prius conceditur; ita poſterius videtur difficilius aſſertu! Nobili enim cuidam rumpebatur veſica fellis, inde diuturnus bilis vomitus & denique mors, ceu poſt obitum ſectione ſatis patuit, *G.* BERTIN. *X*II. 14. FERNEL. *pathol.* VI. 5. ait: *Non pauci è vivis ſurrepti ſunt, in quibus non alia interitus cauſſa apparuit, quam quod follieulus bile omnino eſſet exhauſtus.* Mortem in puero poſt 4. dies à veſicula fellea rupta vidit SALMUTH. *C. 1. obſ. 3.* Hinc *Gottofr.* VVELSCH. *in ration. vuln. letal. jud. p. 64.* bilis veſiculæ vulnus ſimpliciter & abſolute letale æſtimat: atque HELMONT *de ſextupl. digeſt. alim. hum.* §. 30. inquit: *Sunt enim fellis vulnera confeſtim mortalia, non autem ita hepatis.* Quod tamen non ſemper verum eſſe arbitror. Quin immo hodie eſſe, qui fel innoxie exſcindant, nuper rumore accepi. Placet ſententia *Cornel.* CONSENTIN. *progymn. VI. p. 257.* dicentis: *Animantes quædam bilis folliculo carent, ut cernere eſt in Cervis, damis & columbis. His tamen ſemper ineſt felleus humor, quem peculiares tubuli è jecore ad inteſtina derivant &c.* In homine vero bilis nunquam, niſi p. n. in folliculo ſuo deficit, teſte *Fr. de le boe* SYLV. *diſp. med. VI.* §. 5. Immo, deficiat ibi, abſit plane folliculus, bilis tamen nunquam deerit, ſed per ſanguinem quaqua verſum diſperſa, cum vel quotidie in aſſumtis aliquid lateat pro bile generanda; invenietur.

n) Sine Pulmonibus) Solum pulmones habent animalia, quorum cordi annexus eſt ventriculus dexter, ait *Fr.* SYLVIUS *diſp. med. VII.* §. 62. hinc piſces aliaque animantia frigida pul-

mones non habent, teſte *Rob.* BOYLE *in nov. experim. phyſico-mechan.* 41. *pag.* 432. Non autem indigent cordis iſto flabello & ventilabro juxta *Th.* BARTHOLIN. *A. R. II. 9.* Quod olim jam innuit ARISTOTEL. 2. *H. A.* 15. dicens: πνεύμονα δὲ οὐ πάντα ἔχει, οἷον ἰχθῦς οὐκ ἔχει, οὐδέ τι ἄλλο τῶν ζώων, ὃ ἔχει βράγχια. De hominibus qq. conſtat adhuc in utero materno pulmones feriari, nec eos reſpirare, teſtibus LAVRENT. *in Anat. f.* 324. SEBITZ. *diſp.* 14. *in Gal. A. P.* § 4. J. T. SCHENK. *ſchol. part. p.* 67. HARVEJO & MAVROCORDATO *de pneum. inſtrum. c.* 1. *&c.* (HIPPOCR. tamen reſpirare affirmavit, quam ſententiam reanimarunt non ita pridem docti aliquot Medici, teſte *Rob.* BOYLE *l. a. p.* 464. qui ib. diſtinguit, & ait grandeſcentem fetum obſcurum quandam reſpirationem exercere, probatq; ex vagitu uterino, de quo etiam fuſe *Th.* BARTH. *C.* 1. *h.* 1.) Verum in hominibus plane deeſſe, impoſſibile juxta LAVREMB. *Exerc. Anat. l.* §. 47. Phthiſicis quidem pulmones interdum ultra dimidium putredine abſumuntur (multos tamen annos ſæpiſſime vivunt) teſtibus SENNERT. *de peſtil. c.* 1. PANAROL. *pent.* 1. *obſ.* 46. PLATER. *in obſſ. ap.* SCHENK. *in obſ. f.* 256. *b.* præcipue MOEB. *in Fund. phyſiol. p.* 288. Ita *Cl.* ERASTVS *anteceſſor olim meus in diſp. Paracelſ. part.* 4. *p. m.* 210. aſſeverat phthiſicos ſe reſtituiſſe, quibus dimidia pulmonum pars morbo amiſſa. Conf. SALMVTH. *C.* I. *obſ.* 15. & 14. Quem vero heic habemus αὐτόπτην? Plane vero defuiſſe, ecquis obſervavit? In monſtro quidem Medioburgi genito deerat una cum capite, cerebro ac corde, uti ex EVERHARDO DEVSING. *in fetus Muſſipont. ſecundin. ap. Th.* BARTH. *C.* 4. *Epiſt.* 30. Sed hoc monſtroſum. De pulmonis tamen defectu legatur *Fabritius* BARTHOLETVS *meth. in dyspn. l.* 4. *c.* 3. *p.* 291. Ejus interim loco veſiculam quandam membranoſo flatu repletam habuit puer Amſtelodamenſis 4. annorum, teſte *Nic.* FONTANO, *Med. ibid. exempl.* 7. *f.* 16. & 56. quæ venulis exiguis munita, originem ſuam ab ipſa arteria (unde cordi refrigerium) repetebat: Qui tamen, quia forſan non ſatis copioſus aer cordi ſubminiſtrabatur, maraſmo obiit, ait *Th.* BARTHOLIN. *A. R.* II. 9. *p.* 285. In homine ergo adhuc defectus hujusmodi exſpectabimus exempla.

θ) Sine Cerebro) Partem ejus innoxie demi fuſius, Deo volente, alibi docebo. Totum vero vel deficere vel auferri aut impoſſibile, aut impoſſibili adfine videtur. *In brutis* quidem habentur exempla v. g. in ovibus aliquot ap. *Cl.* KERCKRING. *obſerv.* 46. *In monſtris* qq. e. g. Bergenſi 1639. ap. *Th.* BARTHOL. *C.* 1. *h.* 83. in Medio-

burgenſi

burgenſi *EVERHARD.* ap. *DEVSING.* Norimbergæ 1641. abortus editus eſt ſine cerebro & ſpinali medulla, capite humeris incumbente, J. J. *WEPFER. in ſchol. ad Eph. Germ. Cur. Ann. III. obſ. 129. f. 219.* Conf. qq. *Maurit. HOFM. in Ann. II. Ephem. Cur. obſ. 36.* cujus etiam meminit *VESLING. obſ. & epiſt. 44. p. 156.* ac *Cl. G. H. VELSCH. obſ. med. Epiſagm. 9. In hominibus* tamen, quod mirabile certe! obſervatus eſt idem defectus e. g. in puero ap. KERCKRING. *l. a.* Ita ap. *Tamponetum* viſitur puer, qui cerebro caruit, teſte *BOREL. C. 3. obſerv. 3.* A. C. 1629. m. Decembr. *Nic. FONT. reſp. & cur. med. l. 1. p. 13.* in puero loco cerebri & ſpinalis medullæ Aquam limpidiſſimā membranæ incluſum vidit, ap. D. *FRIDERICI diſp. de Cerebro C. 1.* Conf. J. D. *HORST. manud. p. 42.* Puer decennis enſe percuſſus in poſtica capitis parte cum læſione oſſis, membranarum & deperditione ſubſtantiæ cerebri poſt triennium moriebatur: apertum tunc cranium ſine cerebro, ſed aqua limpida plenum inveniebatur *ZACVT. Luſ. l. 1. obſ. 4.* (*SENNERT. tamen in Paralip. ad l. 1. Prax. p. 1. c. 24. p. 110.* dubitat de veritate ejus; negat plane *REIES q. 31.*) Puellam ſine cerebro natam in Reip. Schafhuſianæ agro vidit *Celeb.* J. J. *WEPFER.* uti obiter meminit *in præf. ad lect. obſſ. de apopl.* & fuſius deducit *Ann. III. Eph. Germ. Cur. obſ. 129.* Plures auctores qui hoc ſe vidiſſe affirmarunt, recenſentur ap. *Th. BARTHOLIN. A. R. III. 3. & C. 1. h. 83. VALLERIOL.* & *SCHENK. obſſ. l. 1.* Ubi tunc anima rationalis, quam recentiores CARTES. HOBOKEN. & *alii* in cerebro, nec forte inepte, primario locant? Forſan in loco cerebri? Diſpiciant acutiores!

ι) Sine Capite) Non equidem admiror hoc fieri ὑπερφυσικῶς, uti (ſi fides adhibenda) aſſeritur de Dionyſio Areopagita, qui, ubi decollatus erat, geſtabat aliquamdiu caput ceu ex SVIDA *Jab.* MANLIVS *in Calend. quod collegit ex ore* MELANCHT. &c. *p. m. 692. it. in collect. Locc. Com. p. 132.* COEL. RHODIG. *III. 23.* Item quæ de capite S. Paulli ſummi Apoſtoli abſciſſo terque adhuc JESU CHRISTI nomen invocante ſcribit REIES *q. 31.* (quam quæſo lege totam) *n. 16.* item ex BARON. *ann. 69. cap. 13.* ac MARUL. *l. 6. c. 16.* confirmat *B.* BONIFAC. *hiſtor. lud. l. 5. ib.* alia de aliis habet, quæ tamen multis videbuntur ſuperſtitioſa. Inter alia tamen ait: *Nos ipſi non ſemel & vidimus & audivimus capita reorum à cervicibus ſeparata* τὸν Σωτῆρα καὶ τὴν Θεοτόκον *invocantia.* Nec admiror Cercidam interfectorem nominaſſe in terra Caria abſciſſum caput Sacerdotis Jovis Hoploſmii

ap. ARISTOT. *3. P. A. 10* (qui tamen non credit) aut Orphei caput Cyro Perſarum regi à muliere necandum prædixiſſe, uti ex PHILO-STRATO memorat GOCLEN. *in Synarthroſ. magnet. pag. 251.* Conf. ARISTOPHAN. ap. J. MANL. it REIES & BONIFAC. *ll. aa.* Sed aut non verum, aut diaboli luſus eſt. Nec admiror caput Dolonis abſciſſum fuiſſe locutum ap. HOMER. *Il. X. v. 458.* & *Cæl.* RHOD. *III. 23.* cum alii aliter interpretentur, vide ARISTOT. *3. P. A. 10.* vel inter nugas Poëticas relegent. Nec admiror Blemmyis vel Blemmis populis deeſſe capita, eſſe vultum in pectore, juxta tradita ap. *PLIN. V. 8.* & aſſertionem *AGELL. IX. 4. SOLIN. c. 3. P. MELÆ l. 1. c. 8. p. 27.* atque TORREBL. *dæmonol. II. 33.* cum fabulas illas de Samojedis egregie explicet & applicet *Cl. OLEAR. Itin. Perſ. & Moſc. f. 189.* hi n. tunicas villoſas extractis brachiis ſupra caput trahunt dependentibus ita manicis, ut facies videatur in pectore. De aliis Acephalis ex HULSIO Cl. J. J. *WEPFER. in ſchol. ad ann. III. Ephem. Germ. Cur. obſ. 129. p. 215.* Illos tamen ad monſtra refert *P. ZACCHIAS l. 7. t. 1. q. 1. n. 35.* Sed recte pernegant BORELL. *III. 3. & IV. 78.* atque LAVREMBERG. *Acerr. Phil. C. 1. h. 25.* Idem judicium ferendum eſt de illis Æthiopibus, quos meminit D. *AVGVSTIN. Serm. 37. ad fratres in Eremo*, præeunte *Cl. WEPFERO l. a. p. 214.* Nec admiror inſecta avulſis capitibus moveri adhuc & vivere, *Cæl. RHOD. l. 3. c. 23.* Cum & aves ita conſtitutæ ad tempus ſubſultent, teſte *VERVLAM hiſt. V. & M. art. 15. §. 32. f. 559.* Immo angvillæ & ſerpentes diu moventur ſingulis partibus poſt conciſionem, adeo ut etiam ruſtici putent pattes ſingulas ad ſe rurſus uniendum expedire, *id. ib.* Siquidem & imperfectiora ſunt animalia, & anima ipſorum eſt diviſibilis. Ita *PLIN. XI. 37.* Oſtrearum generi nulla capita, nec Spongiis nec aliis fere, quibus ſolus ex ſenſibus tactus eſt, eſſe dicit. Nec admiror monſtra poſſe & capite carere & vivere, exemplum eſt ap. *EVERHARD.* citante *DEVSING.* de aliis *WEPFER. l. a. p. 216.* Sed hoc admiror arietem adhuc ſine capite ambulaſſe, *IBN-RASCHID 7. phyſ. comm.* 4. ap. *Cæl. RHODIG.* III. *23.* & KEKKERM. *Syſt. phyſ.* III. *15. p. 327. qui ib.* plura de Vitulis & Maria Regina Scotiæ decollata. Huc quadrant verba *ARIST.* III. *P. A.* 10. ajentis: *προϊέναι δέ ποι τὸ σῶμα τῆς κεφαλῆς ἀφῃρημένης, οὐδὲν ἄλογον.* Corpus tamen detracto capite progredi quoquam, non temere credi poteſt. Stupenda certe eſt ſequens hiſtoria. *A. C. 1337. Ludovicus Imp. apud Monacum in Bavaria conſiſtens, edictum pacis quendam ex militari genere violantem, cum famulis 4. capitum truncatione damnavit. Nomen erat*

viri

viri Theodoricus Schavvinburg, qui pœnam accepturus jam poſitis in terra genubus, judicem rogavit, quatenus famuli per ordinem ante faciem ejus ſtatuerentur, & ipſe poſt omnes fieret in ordine ultimus, eſſetq; inter ſingulos una diſtantia pedum 8. deinde ſibi caput in ultimo conſiſtenti ordine amputaretur, & quotquot ſine capite currens ſibi ordine ſervorum faceret poſteriores, Imperiali clementia vita donarentur. Riſit hominem judex, atque reſpondit: Etſi meæ non ſit poteſtatis, damnato concedere vitam, promitto tamen apud Cæſarem impetrare illis, quod petis, quæ capite amputato tuo currens vel ambulans prætergreſſus fueris. Quibus auditis Theodoricus lætus efficitur, & dicit: Ita fiat, precor, ô Judex, ſicuti locutus es; & ſpero, quod nullus hodie ſervorum meorum morietur. Dixit, & conſtans animo ſpiritum fortificans in ſemet ipſo, mucronis ictum ſuſcepit. Amputato mox capite in terram non cecidit truncus, ſed in inſtanti ſurgens, cum impetu præter ſingulos cucurrit ſervorum, & ante noviſſimum cecidit. Re ad Cæſarem delata, & ipſum & plures vertit in ſtuporem. Servis truncati latronis vita conceditur. Fides amorq; domini pro ſuis commendantur; Sunt verba ex MSS Annalibus TRITHEMII fol. 87. qui aſſervantur in Bibliotheca Bipontina.

κ) Sine Corde) ARISTOT. IV. G. A. 4. ait: Καρδίαν μὲν ὂν οὐδὲν πώποτε ἐγένετο ζῶον μὴ ἔχον, i. e. Sed corde carens nullum animal unquam ortum eſt. Et 3. P. A. 4. infit: Τὴν καρδίαν ἅπασιν ὑπάρχειν τοῖς ἐναίμοις, cor omnibus ineſſe ſanguineis animalibus. Verum cur defuit in victimis ap. VAL. MAX. l. 1. c. 6. n. 13? Conf. PLIN. XI. 37. Jul. Obſequ. de prodig. Hoc autem aliqui rident, & ultra poſſibilitatem dici ſcribit Cœl. RHODIG. IV. 16. Sed paullo poſt addit: At, nî mendum exemplarium eſt, hoc carens viſcere compertum quandoque pronunciat AVICENNA. Alii à diabolo dicunt ablatum, uti Th. BARTHOLIN. A. R. II. 6. Conf. RVPERT. ad Val. M. diſſ. 2. p. 37. Alii in extis latuiſſe, uti SPIGEL. qui in Struthiocamelo tantum adipem vidit, ut facile impoſuiſſet, avi cor defuiſſe. Conf. ROLFINC. de Corde c. 1. pag. 6. Cur defuit in monſtris, uti Medioburgenſi ap. EVERHARD? Forte, quia monſtrum. In illuſtri Romano diuturno morbo pereunte nulla prorſus cordis portio, ſed ejus tunica tantum reperta fuit, quod nim. ab immoderato calore illud penitus jam abſumtum erat totum, ap. Bernardin. TELESIVM rer. nat. V. 28. Sed hoc p. n. SPIGEL. l. de form. fet. Epiſt. 1. f. 64. tractat, an animal ſine corde vivere poſſit? Certe quædam animalia exemto corde non tantum vivunt, ſed & currunt

currunt & vociferantur, LAVRENT. l. *anat. q.* 7. Conf. SCHENK. *obſſ. fol.* 269. ex GALEN. *l.* 2. *de plac. Hipp. & Plat. c.* 4. Modum, quomodo cani cor exſcindi, idem tamen nihilominus dein progredi & clamare poſſit, docet. COLVMB. *l.* 14. *anat. in fine p.* 481. Felicem hujusmodi eventum tum alios, tum ſemetipſum quandoque vidiſſe ſcribit P. ZACCH. *l.* 4. *t.* 2. *q* 2. *num.* 22. VVittebergæ ſecabant aliqui canem gravidam, catellorum cæſonum corcula duorum eripiebant, qui motu membrorum, & quod maxime mireris, etiam ſono vagitum quodammodo referrent ad quadrantem horæ, ex *M.* SCHELGVIGIO *D. Sim.* SCHVLTZ. *Ann.* III. *Eph. Germ. Cur. obſerv.* 263. *p.* 476. Cauſſam tribuit *Th.* BARTHOLIN. *A. R.* II. 6. & SCHVLTZ. *l. d.* reliquiis ſanguinis arterioſi. Si cor ranæ, facta ad jugulum (ubi ſitum eſt) apertione exſcindatur, ranaque aquæ imponatur, diu in ea ſupervivet, AVCTOR *obſſ. anat. ſelect. colleg. priv. Amſtel pag. m.* 30. rationem reddere allaborat KEKKERM. *Syſt. phyſ.* III. 15. *p.* 327. Latro Hafniæ miſerrimo ſubplicio affectus corde evulſo adhuc caput motitabat, corque rejectum ſuum contemplabatur adtentius ap. *Th.* BARTHOLIN. *C.* 3. *h.* 15. Conf. præcipue VERVLAM. *hiſt. V. & M. art.* 15. *t.* 32. *f.* 559. qui qq. addit exemplum exenterati & per rotam diſſecti, qui aliquo poſt tempore locutus eſt, corde exemto & partibus à toto ſeparatis. ACOSTA *V.* 25. de Indo corde exemto immolato, qui ad Hiſpanos dixit, cum de ſcalis præceps daretur: *Equites mactarunt me*; vide G. HORN. *hiſt. nat. l.* 2. *c.* 19. qui plura. Conf. præterea *Cl. D.* BAVSCH. *in proœm. traum. p* 36. & *G.* FABR. *Hild.* C. 4 *obſ.* 51. Diſputationem ſigno antiquo hoc Senario:

Nil ſpernat auris, nec tamen credat ſtatim!

FINIS.